Epistola 147.

JOHANNI COCCEJO ABRAHAMUS HEIDANUS.

Admodum Reverende, doctissime vir, frater in Christo
honorande,

Ego vero, qui te ex fama, scriptis et sermonibus amicorum
aestimare et colere didiceram, etiam ex duabus Epistolis, quas ad
me dedisti, ~~etiam~~ amare coepi, ob characterem tui in iis expressum
neque potui sinceriorem animum aliter traducere, quam praedicando tuis
artificium, quo mihi praeterita mea tam affabre ob oculos posuisti.
quae cum attente mecum rumino, tantum momentum mihi habere
videntur, ut etiam illa omnia, quae ego in hanc causam attuli,
praegravent. Itaque vero super iis cum dominis nostris agere coeperam,
qui rem totam revocantes ad animum, fatebantur omnes, non
esse aequum, te cum detrimento tuo esse accersendum. quamvis et
iniquum judicarent, se a vestris in ordinem cogi, ut quantum
de liberalitate sua ad stipendium tuum illi adjicere voluissent, tantundem
vel plus ~~illi~~ tibi faciendum esset. quod statuerunt, id tantum hoc extra-
ordinario augmento quaeri, ubi ne illis a nobis praeripi possis:
quod et apud ceteros Collegas tibi invidiam creare posset, et omnem
tibi imposterum spem migrandi alio praecideret. quod nihil aliud
esset, quam te istic aureis catenis alligatum tenere. Sed dum
in eo sunt, ut super eo Conventus ordinum Curatorum indicatur: ecce
commodum opprimunt me expectatissimae literae tuae, quae ita
in tempore offeruntur, ut si vel horam tardius in manus venissent,
non potuissem dominos nostros, qui jam Hagam properabant,
compellare. Quos dum alloquor, jam in itinere constitutos, antequam
navem conscenderent, exposui illis prolixe quae ex literis tuis didiceram,
et quam festinato in hac re opus esset, ut ante 18 diem hujus mensis
constare tibi de eorum voluntate posset. praecipue illud iis inculcavi,
necesse esse, ut si gratiam vestris facere vellent, novis laboribus novos
titulos adinvenirent. Quod gratum illis fuisse, et eo conjeci,
quod quidam dictitarent, posse ita locum relinqui, ut quae in
commentariis tuis parata habes, ad eorum editionem suo tempore
tenearis. Ceterum te cum reliquis Curatoribus Hagae collocuturos,
et in id omne studium posituros, ut justis rationibus tibi satisfiat,
neque justae querelae ullius locus supersit. Nescio nunc an
ex te ita sit, ulterius illos urgere. Fortiorem certe machinam ego
adhibere non possem, quam Vestronis [?] insignis et praedicanda
liberalitas illis admovit. quae si eorum parsimoniam expugnare
non possit, nescio quibus aliis argumentis id confici possit.
Sed omnino affectum in T.R. promptum, ut de optato successu
vix dubitem. Et si forte hic aliquid defecerit, ut non essent omnia
illinc paria, nolim tamen idcirco nos spe nostra, quam hactenus
de te fovimus, mulctari: cum id nec tibi honorificum esse posset,
et nobis multum damni et dedecoris afferret. Sentio me in
magnas angustias conjectum: ut si successu destituatur hoc negotium,
omnes in me culpam derivent, et populo displiceant [?]. aut si non
pro meritis te tractent nostri, ego dicar res tuas afflixisse.
Sed deus his viam inveniet, qui illam spero mentem inspirabit
Dominis nostris, ut quod sui sit muneris probe expendant.
Et quamvis non omnia votis tuis initio responderent, id certe tamen [?]
tale, conditiones tuas meliores fieri posse successu temporis:
cum hactenus id suo exemplo sit, ut in ullo beneficentiam suam
claudicare passi sint. Et vero nunc tam severi sint meritorum
cujusque judices, quin bene tibi hic sit apud nos, nullatenus
dubitaverim. Haec non ideo scribo, quod de animo eorum dubitem,
sed quia natura factus ad metum, omnia etiam tuta timere soleo.

Quae de dissentionibus nostris istic ex aliorum relatu spargi,
neque omnino falsa sunt, neque tamen ita confirmata, ut exaggerari
videantur. Qui fieri posset, ut tot capitibus eadem semper essent
sententiae? Viget certe in Senatu nostro summa animorum et consen-
concordia: nisi quod clanculariis artibus aliquando morum praetextu
caput impetitur, quod tamen Rectoris solo consensu a me propello.
Neque vobis, ut plurimum intelligo, deerunt aliquando litium occasiones,
imo mirari satis non potui, a versuto quodam ~~nobis~~ Amstelodami
in officinis, et conviviis talia dici et spargi, quae certe ~~tibi~~ satis
nullo esse videri. Sed haec coram inter nos melius transigemus.
non ausus sum tabellarios vestros diutius hic detinere, quia incer-
erat quando a dominis nostris responsum haberi possit. Et alioqui
illorum est, quae te scire volunt, ea per certos nuncios significare.
Interea, amicissime et optime Virorum, valetudini in modis te
oro et hortor, ut propensum in nos animum ne deponas aut minuas;
Cum nos aliquando tua gratissima tua praesentia, qui filium es
Sic auguror, Academiae nostrae unicum columen et grande ornam

Datum raptim et tumultuarie, Lugd. 12. July. 1650.

T. R. ex animo devotus
et ad omnia obsequia para
Ab. Heidanus.

Laudo clar. D. Lindanum, quod ita causam nostram agit. Dicas illi meo nomine multam salutem.

Admodum Reverendo, clarissimo
celeberrimoque viro D. Johanni
Coccejo, S. Theologiae doctori
et Professori dignissimo, fratri
et fautori suo colendo.

Franquerar